

olim. 6. de Consuetud. Atqui privilegium fori, v. g. est favorabile, simulque per istud reditur ad jus commune, quo clerici jure divino sunt exempti a jurisdictione sæculari, can. *Si imperator.* dist. 96. et c. *Quoniam de Censib.* in 6. cum similibus; ergo est late interpretandum. Unde fit, quod pensio, si non ex proprietate vocis, saltem per interpretationem extensivam, possit intelligi, atque venire nomine Beneficii; sicuti post Gigantem quæst. 58. n. 28. loquitur Fagnanus loc. cit. n. 117, hoc ipsum n. seqq. ampliatis ad beneficia manualia: nam etiam hæc in materia favorabili (inquit) appellatione beneficii includuntur, quæ tamen vere et proprie non sunt beneficia: ut jam dictum supra § præced. n. 52. 54. et seqq.

§ IV.

DE ERECTIONE BENEFICIORUM, NEC NON QUALITATIBUS IN LIMINE FUNDATIONUM APPOSITIS.

99. *Quæ requirantur ad erectionem beneficii ecclesiastici? Ea debet fieri ad cultum divinum, sub onere præstandi officium spirituale.* — Quæritur I. Quæ requirantur ad erectionem beneficii ecclesiastici? Resp. I. Ad erectionem beneficii ecclesiastici cum primis requiritur, ut fiat ad cultum divinum, sub onere præstandi quoddam officium spirituale, sive ecclesiasticum. Siquidem beneficium datur propter officium, cap. ult. *de Rescript.* in 6.

100. *Ad beneficii erectionem requiritur etiam congruentia dotis.* — Deinde requiritur congruentia dotis: sive, quod beneficium ejusmodi non solum in loco congruo erigatur, et quidem absque præjudicio aliarum ecclesiarum, sive beneficiorum; sed etiam sufficientes redditus, pro decenti sustentatione clerici beneficiarii, eidem assignentur. Unde ad episcopum pertinet, in limine foundationis rite examinare locum erectionis, dotisque congruentiam, et futurum regimen, sive onera beneficio imposita. Barbosa lib. III. *Jure ecclesiast. univ.* cap. iv. n. 21.

101. *Quæ, una cum loco erectionis, debet examinari per episcopum. Non decet unum altare discooperire, ut aliud cooperiatur.* — Et quidem locus erectionis debet examinari, an sit conveniens pro tali beneficio, nec hujus erectio tendat in præjudicium alterius. Quia « non decet unum altare discooperire, ut aliud cooperiatur; » prout loquitur Abbas c. *Pastoralis.* n. 3. « De his, quæ fiunt a Præ-

latis, » etc. id probans ex c. *Cum causam.* 36. h. t. estque vulgatum canonistarum. Dotis vero congruentia, juxta qualitatem beneficii, loci ac personarum, aliarumque circumstantiarum, examinari debet, ut videatur, an clericus inde honeste sustentari valeat? nam ut Salvator inquit *Matth. x.* 10. *Dignus est operarius cibo suo.* Atque secundum Apostolum, qui altari servit, vivere debet de altari, I. *Corinth. ix.* 13. *Cum secundum Apostolum.* 16. h. t. cum similibus.

102. *Ad erectionem beneficii insuper requiritur consensus episcopi, et quidem expressus.* — Tandem ad erectionem beneficii ecclesiastici requiritur auctoritas, sive consensus episcopi: adeo, ut non sufficiat consilium episcopi, aut petitio sui consensus; sed requiratur consensus expressus. Barbosa cit. cap. iv, n. 22, post Lambertinum *de Jurepatronat.* lib. I. part. I. in 7. quæst. art. n. 131. et concordat dicta superius § 1. n. 14. et seqq. (ADNOTATIO L.)

103. *Ubi constat de consensu episcopi in limine foundationis adhibito, præsumuntur omnia per episcopum diligenter discussa.* — Resp. II. Ubi constat de consensu episcopi in limine foundationis adhibito, præsumuntur omnia per eumdem diligenter discussa, etiam circa congruentiam dotis. Ita Rota decis. 521. n. 1. part. II. *Recent.* apud Barbosam, loc. cit. n. 22. Generaliter enim pro judice judicialiter procedente, aliisque viris litteratis, providis et honestis præsumitur, quod in suis negotiis rite processerint, donec contrarium probetur, c. *In nostra.* et Abbas ibid. n. 3. *de Procurat.* et c. *Cum dilectus.* 9. *de Fide instrument.*, estque uberius dictum supra lib. II. tit. XXIII. *De Præsumptionibus* § 4. n. 86. et seqq.

104. *Et vicissim, beneficio in forma debita cæteroquin erecto, præsumitur, consensum episcopi ab initio intervenisse.* — Sicut et vicissim præsumitur, hanc episcopi auctoritatem ab initio intervenisse in erectione beneficii, si ecclesia ædificata, aliudve beneficium, cæteroquin reperiatur in forma debita; habeatque dotem, atque rectorem. Barbosa, ubi supra, n. 23. post Rotam in Hipporegiensi capella, 13 junii 1613. coram R. P. D. Pirovano, et alios. Concordat Mascardus, *de Probationib.*, concl. 416. n. 4. allegatis pluribus aliis docens, quod consensum episcopi in foundatione ecclesiæ intervenisse, præsumatur ex diuturnitate temporis, si in ea publice sint celebrata divina.

§ IV. DE ERECTIONE BENEFICIORUM, ETC.

105. *Fundator beneficii potest in limine foundationis adjicere quascunque qualitates, leges, et conditiones sibi bene visas, cæteroquin honestas.* — Quæritur II. Quid dicendum sit de qualitatibus, sive conditionibus, in limine foundationis beneficii per fundatorem appositis? Resp. I. Fundator beneficii potest in limine foundationis adjicere quascunque voluerit qualitates, leges seu conditiones sibi bene visas, cæteroquin tamen possibiles, ac honestas, cum consensu ordinarii. Ita desumitur ex c. *Significatum* 11. *de Præbend.* et c. *Præterea.* 23. *de Jurepatronat.* et c. *Quanto.* 16. *de Censib.* Et inter alios tradit Gonzalez ad reg. 8. cancell. Gloss. 5. n. 100. et seqq. allegans Rotam decis. 1. *de Præbend. in novis.* et decis. 2. *de Testament.* in antiq. atque, ut inquit card. de Luca, *de Beneficiis*, discurs. 95. n. 10. est regula generalis. Siquidem quilibet est moderator, et arbiter rerum suarum, l. *In re mandata.* C. *Mandati:* potestque de ipsis, sive in vita per pias, v. g. foundationes, sive mortis causa per testamentum, prout sibi bene visum est, disponere.

106. *Quæ omnimodis erunt observandæ. Refertur textus notabilis concilii Tridentini quoad hoc.* — Unde et jura ejusmodi qualitates, sive onera, et conditiones in limine foundationum adjectas, omnimodis observandas esse censuerunt: ut Clem. *Quia contingit.* § 1. *de Religios. domib.* ubi dicitur: « Ea, quæ ad certum usum largitione sunt concessa fidelium, ad illum debent, non ad alium (salva quidem Sedis apostolicæ auctoritate) converti. » Concordat textus in l. *Nulli licere.* C. *de Episc. et cleric.*, etc. *Nos quidem.* 3. *de Testament.* cum similibus: ac novissime concilium Tridentinum, sess. 25. cap. v. *de Reform.* illis verbis: « Ratio postulat, ut illis, quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur: quando igitur ex beneficiorum quorumcunque erectione, seu foundatione, aut alii constitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta; in beneficiorum collatione, seu in quacunque alia dispositione, eis non derogetur. » Et infra: « Aliter fracta provisio, subreptitia censeatur. »

107. *Idque exemplificatur in foundatione exprimente, ut beneficium vacaturum conferatur consanguineo fundatoris, etc. Et an valeat tunc collatio beneficii alteri facta?* — Sic, ubi fundator in limine foundationis ordinavit, seu expressit, ut emergente vacatura capellæ, beneficii a se erecti, istud conferatur cuiquam

cæteroquin idoneo ex consanguineis descendibus ex sua cognatione; hæc conditio, seu qualitas instituendi, omnino erit observanda. Rota in una Cæsaraugustana, capellanæ 16 martii 1587. coram illust. Seraphino. Et aliter facta præsentatio, seu provisio de non habente dictam qualitatem consanguinitatis, est invalida. Garcias, *de Beneficiis*, part. VII. cap. xv. n. 6. allegans alios. Dummodo adsit quispiam habilis ex consanguineis illius fundatoris, et quidem contradicens, atque opponens, sibi que vi primævæ foundationis provisionem fieri postulans: alioquin enim, nemine opponente, sustinetur præsentatio, vel provisio; non minus, ac si fieret spreto patrono, et tamen non contradicente. Pyrrhus Corradus lib. II. *Praxis benefic.*, cap. x, n. 67 et 69. et Garcias cit. cap. xv, n. 7. et part. V. cap. ix. n. 231 et 232, allegans alios, et multiplicem decisionem Rotæ. Atque hoc ipsum, servata proportionem, dicendum est de aliis similibus casibus.

108. *Qualitates seu conditiones turpes aut impossibiles, appositæ in limine foundationis habentur pro non adjectis.* — Additur notanter in conclusione, « cæteroquin tamen possibiles, ac honestas. » Nam qualitates, seu conditiones turpes, aut impossibiles appositæ in limine foundationis, ob favorem religionis habentur pro non adjectis, arg. cap. ult. *de Conditionib. apposit.* etc. ac notat Pyrrhus Corradus, cit. lib. II. *Praxis beneficior.* cap. x. n. 166.

109. *Idque exemplificatur. Fundator beneficii, an et qua ratione possit illud obtinere absque simonia?* — Hinc reprobatur illa fundatio beneficii, quæ fit cum pacto, et conditione, fundatori bona sua temporalia Ecclesiæ conferenti, postmodum liceat beneficium illud retinere. Nam talis pactio, sive conditio appositæ, est turpis, atque simoniaca, juxta textum expressum in c. *Tua nos.* 34. *de Simonia:* cum in talibus, sive in beneficiis ecclesiasticis, omnis pactio, ac conventio cessare debeat juxta canonicas sanctiones, cit. c. *Tua nos.* et c. *Quæsitum.* 5. *de Rerum permutat.* Si tamen pure ac simpliciter quis erigat beneficium, et roget solummodo humiliter, ut illud sibi conferatur, poterit istud fieri absque ulla labe simoniæ cit. c. *Tua nos.* § *Si vero. de Simonia.*

110. *Qualitas, lex, aut conditio in limine foundationis appositæ, si de se honesta sit et possibilis, est observanda, licet sit contraria juri communi: idque exemplificatur.* — Quod si

vero qualitas, sive lex, aut conditio in limine foundationis abjecta, de se sit honesta et possibilis, tunc ea est observanda; haud obstante, quod sit contraria juri communi. Glossa communiter approbata in c. *Cum dilectus*. §. *Constitutum*. vers. *Satis tamen credo*. de *Consuetud.*; card. de Luca de *Beneficiis*. discurs. 95. n. 10; Fagnanus c. *Cum in cunctis*, n. 72. et 73. de *Election.*; asserens, sic tenuisse sacram congregationem; quam secuta fuit Rota, decis. 194. n. 1. part. II. *Recent.* Atque istud exemplificat Fagnanus, ibid. in canonice, qui potest conferri ante etatem a jure communi, vel concilio Tridentino præscriptam, si ita cautum fuerit in ejusdem foundatione. Et talem conditionem in erectione beneficii, etiam episcopus admittere potest.

111. *Fundatoris successor non potest alterare, aut derogare qualitatibus in limine foundationis appositis.* — Resp. II. Leges, conditiones, seu qualitates in limine foundationis appositae non potest patronus hæres, sive fundatoris successor alterare, aut eidem derogare, etiam cum consensu episcopi. Ita conformiter concilio Tridentino, sess. 25. cap. v. de *Reform.* (cujus verba n. 106. relata sunt) card. de Luca de *Beneficiis*, discurs. 96. n. 6. et 7. citans Rotam in Alexandrina decanatus. 12. junii 1598. coram Orano; et aliam Rotam Decis. 496. n. 9. part. I. *recent.*; Pyrrhus Corradus in *Praxi Beneficiorum*. lib. II. cap. x. n. 145. et seqq. ubi sub n. 152. refert declarationem sacræ congregationis concilii, quæ cum inter alia interrogaretur: « Quarto, An de consensu patroni possit dispensari cum minori viginti quinque annorum ad capellaniam simplicem obtinendam, ad quam ex foundatione est præsentandus sacerdos? » Respondit: « Ad quartum, hanc dispensandi facultatem episcopis post concilium non competere. » Hæc ibi. Concordat Fagnanus in c. *Conquerente*. n. 24. de *Cleric. non resident.* pariter asserens, sacram congregationem censuisse, quod hodie ex decreto concilii Tridentini cit. sess. 25. cap. v. de *Reform.* non sit in facultate ordinarii, derogare qualitatibus in foundatione appositis, etiam de consensu patronorum. Garcias part. VII. de *Beneficiis*. cap. I. n. 107. et 111. ac seq. Quidquid olim Felinus c. *Cum accessissent*. n. 19. de *Constitut.* et nonnulli alii, apud eundem Garciam n. 105. et 106. in oppositum tenuerint, asserentes, posse episcopum cum consensu Patroni successoris fundatoris pro una, vel altera vice alterare

qualitates, seu conditiones in foundatione requisitas; ac dispensando contra eas, conferre beneficium non habenti dictas qualitates. Nam hæc opinio satis rejicitur ex verbis concilii Tridentini jam relatis, juncta præsertim declaratione sacræ congregationis concilii, ac tam multiplice decisione Rotæ.

112. *Bene tamen fundator ex justa causa, et cum consensu episcopi potest eas ex post facto alterare.* — Additur notanter in conclusione, « Patronus hæres, sive fundatoris successor, » etc. Nam, quod patronus fundator adhuc vivens ex justa causa, et cum consensu episcopi, possit tollere, seu alterare conditiones, sive qualitates tempore foundationis appositae, etiam ex post facto, censet Garcias cit. part. VII. cap. I. n. 103. post Felinum c. *Cum accessissent*. n. 19. et Decium n. 51. de *Constitution.*; Rochum de Curte De *Jurepatronat.* §. *Pro eo quod*. quæst. 14. n. 30. et alios, quos citat, asserens, istud videri clarum.

113. *Sed non in præjudicium Ecclesiæ, aut juris tertio quæsiti.* — Fatendum tamen, quod oppositum teneat Pyrrhus Corradus cit. lib. II. *Praxis benefic.* cap. x. n. 157. et seqq. Quia (inquit) concilium Tridentinum, ubi supra, ac declarationes sacræ congregationis non distinguunt inter patronum viventem, et defunctum; ergo neque nos distinguere oportet, l. *De pretio*. ff. de *Publician. in rem action.* Eo præsentim: quia per foundationem ab episcopo authentizata, jam est jus Ecclesiæ acquisitum: quod proinde ex post facto non amplius potest fundator eidem auferre, minuere, aut per novas conditiones infringere. Et hæc posterior sententia locum habere videtur, quando patronus ex intervallo vellet qualitates foundationis mutare in præjudicium Ecclesiæ. Card. de Luca, discurs. 6. de *Jurepatronat.* n. 16. Aut in præjudicium tertii, tollendo jus ipsi jam quæsitum. Card. de Luca, discurs. 16. de *Jurepatronat.* n. 2 et 3. post Rotam, Decis. 37. n. 1. et seqq. part. VII. *Recent.* et alibi sæpius. Alioquin secus. Idem card. de Luca, discurs. 18. de *Jurepatronat.* n. 4. citans alios.

114. *Redditibus beneficii diminutis, an missarum in foundatione impositarum, numerum possit episcopus reducere?* — Limitatur etiam a nonnullis data conclusio in casu, quo redditus ipsius beneficii postea ob temporum injuriam sunt diminuti, atque insufficientes reperiuntur ad supportanda onera in limine

foundationis imposita, legendi v. g. tot vel tot missas. Tunc enim posse episcopum cum consensu patroni, imo etiam isto invito, onera imposita, seu missas v. g. legendas moderari, et reducere ad minorem numerum juxta quantitatem reddituum beneficii; tradit Garcias cit. part. VII. cap. I. n. 134. 135 et seqq. post Felinum in c. *Cum accessissent*. n. 19. de *Constitut.* ubi ait, quod cessantibus redditibus cessare debet ordinatio testatoris. Concordat Azorius part. II. lib. VI. cap. xxiv. quæst. 6.; Miranda in *Manual. prælat.* tom. quæst. 41. art. 24. vers. *Sed revera*, pluresque alii a Garcia, ubi supra, relati. Accedit ratio, quia alioquin non facile reperiretur, qui sub redditibus adeo tenuibus, atque diminutis, vellet antiqua onera sustinere; sicque piæ fundatorum voluntates penitus deperirent, nisi ob urgentem hanc diminutionis reddituum causam episcopali auctoritate temperari, atque ex parte saltem, quantum fieri potest, sustineri valerent, arg. c. *Cum accessissent*. 8. et c. *Ex parte*. 12. de *Constitution.* et quæ ibidem notant doctores. Quinimo ob hanc ipsam causam concilium Tridentinum, sess. 25. cap. iv. de *Reform.* facultatem dedit episcopis, ut in synodo diœcesana, itemque abbatibus, et generalibus Ordinum, ut in capitulis generalibus, re diligenter inspecta, possint pro sua conscientia reducere ad minorem numerum onera missarum, ex variis defunctorum relictis impositarum, quando elemosynæ pro illis celebrandis adeo, sunt tenues, ut non facile inveniatur, qui huic sese muneri subjicere velit.

115. *Missarum ex relictis defunctorum impositarum, v. g. anniversariorum reductionem, ob tenuitatem reddituum, potest facere episcopus.* — Verum loquendo de oneribus missarum celebrandarum in foundatione appositis (sicut et de impositis post dictum concilium Tridentinum) contrariam sententiam tenent Gavantus in *Manual. episcop.* §. *Missa*. n. 55. et 56; Fagnanus c. *Significatum* n. 15. de *Præbend.*; Tamburinus lib. III. de *Sacrificio Missæ*, cap. I. § 2. n. 1. et 2; Diana part. II. tract. XIV. resol. 1. allegans Homobonum in *Exam. eccles.* part. I. tract. IV. cap. xiv. q. 129. pluresque alios, qui esserunt, reductionem talium missarum non posse fieri per episcopum, sed pro ea obtinenda recurrendum esse ad Papam. Rationem dant, quia concilium Tridentinum loc. cit. concedens episcopis facultatem reducendi onera missarum ad minorem numerum, loquitur solum

« de magno missarum celebrandarum numero ex variis defunctorum relictis imposito; » uti sunt missæ, et anniversaria defunctorum non autem de missis impositis beneficio, seu capellanæ, in limine foundationis: ac proinde inferunt memorati auctores, pro harum reductione recurrendum esse ad summum Pontificem. Accedit, quod ita novissime decreverit Urbanus VIII. in sua 45. constitutione, « Cum sæpe contingat (atque alio nomine, *decretum de Celebratione missarum*, appellatur) ubi, § 1. districte prohibet, atque interdicat, ne episcopi in diœcesana synodo, aut generales in capitulis generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post idem concilium imposita, aut in limine foundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad apostolicam Sedem recurratur, » etc, idque sub nullitate actus in declarationibus sacræ congregationis concilii, eidem decreto in citato *Bullario* subjunctis, respondendo ad primum dubium, quod non obstante tenuitate legatorum, « pro reductione onerum Sedes apostolica sit adæunda, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in domino e re esse judicaverit. »

116. *Et an duntaxat in synodo diœcesana?* — Ubi pariter notandum est, quod concilium Tridentinum cit. sess. 25. cap. iv. de *Reform.* expresse addiderit, memoratam missarum ex variis defunctorum relictis impositarum reductionem, ab episcopo esse faciendam in synodo diœcesana: adeoque, speciato rigore ejusdem concilii, id fieri non posse extra memoratam synodum. Attamen, quod istud decretum in aliquibus episcopatibus non sit usu receptum, utpote in quibus reductiones non solum missarum capellanarum, sed etiam anniversariorum, et dotationum ecclesiarum fiunt extra synodum; refert Garcias d. part. VII. cap. I. n. 136. Addit etiam Navarrus cap. xxv. *Manual.* n. 138. illud, quod concilium Tridentinum cit. sess. 25. cap. iv. de *Reform.* concessit, videri quidem « Jus novum quoad abbates et generales, sed non quoad episcopos, qui possunt hoc facere, etiam sine synodo, jure antiquo, arg. c. *Cum accessissent*. etc. *Ex parte. de Constitut.* quod non videtur per hoc sublatum, cum fuisset additum ad augendum. » Hæc Navarrus.

117. *Per clausulas generales derogatorias, an censeatur derogatum qualitatibus in limine foundationis appositis? Clausula Non obstan-*

tibus statutis, etc., unde desumpta sit? — Quæritur III. Utrum per clausulas generales derogatorias, in litteris apostolicis contentas, « Non obstantibus statutis, » etc. censeatur derogatum qualitibus in limine foundationis requisitis? Ubi sciendum, quod clausula illa, « Non obstantibus, ejusdem ecclesiæ privilegiis, consuetudinibus, vel statutis, juramento, confirmatione apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, » quæ, communiter in rescriptis ad beneficia ecclesiastica, et præbendas ecclesiarum cathedralium, seu collegiarum apponi solet (non vero in aliis beneficiis, ut inquit Garcias part. VII. de Beneficiis, cap. i. n. 123.) desumpta sit ex c. Cum aliquibus. 4. de Rescript. in 6. De cujus etiam intellectu, præter alios doctores, plura congerit Barbosa in tractat. de Clausulis usu frequent. clausul. 84. per totum. Quo prænotato.

118. Per clausulam hanc derogatur statutis ecclesiarum generalibus. — Resp. I. Etsi per clausulas ejusmodi generales derogetur statutis ecclesiarum generalibus, seu omnia beneficia cujuscumque ecclesia respicientibus: non tamen per ipsas censeatur derogatum primævæ foundationi, seu qualitibus in eadem pro consecutione certi cujuscumque beneficii requisitis, nisi expressa fiat mentio ipsiusmet foundationis. Ita Felinus c. Nonnulli, n. 22. de Rescript.; Garcias cit. part. VII. cap. i. n. 116, 117. et 118. et Barbosa cit. clausul. 84, n. 5. et 6. et 11. allegans alios, et multiplicem decisionem Rotæ. Prior pars ex eo liquet: quia Papæ nec deest potestas derogandis statutis ecclesiarum, cap. i. de Constitut. in 6. et c. Licet ecclesiarum 2. de Præbend. in 6. cum similibus. Nec voluntas, stante clausula illa: hæc quippe expressis verbis continet claram intentionem Papæ, volentis pro ea vice derogare statutis Ecclesiæ: cui rescriptum porrigi debet.

119. Non tamen primævæ foundationi, seu qualitibus in eadem requisitis pro consecutione beneficii, absque expressa mentione foundationis. — Altera vero pars desumitur ex c. Cum dilectus. 28. juncta Glossa 7. Quempiam præsentare. circa fin. de Jurepatron. Siquidem Papa per clausulas generales non intendit præjudicare, nec derogare, piis foundationibus, seu legibus in earum limine apposis, ne fideles retrahantur a foundationibus, et ordinationibus beneficiorum. Glossa loc. cit. Garcias cit. cap. i. num. 118. allegans Rotam in Foroliviens. capellaniæ. 10

maii 1589. coram dom. Seraphino. et alios.

120. Istud intelligendo tum in foundationibus laicorum, tum etiam clericorum. — Atque istud procedit non solum in foundationibus laicorum, de proprio patrimonio fundantium Ecclesias, aliaque beneficia Ecclesiastica; sed etiam in foundationibus clericorum, juspatronatus duntaxat ecclesiasticum habentium: prout contra nonnullos alios, tenet Felinus cit. c. Nonnulli n. 23. de Rescript. et Garcias d. part. VII. cap. i. n. 120. et 121. Accedit ratio, tum quia etiam fundatio clerici facta ex bonis ecclesiasticis, est multum favorabilis; sicque non censeatur ipsi derogatum, nisi de foundatione fiat expressa mentio; tum quia primæva fundatio, sive ordinatio in eadem posita, proprie non solet dici Statutum, sicque sub generali derogatione statutorum non venit, prout argumentatur Garcias cit. n. 121.

121. Per clausulam illam Non obstantibus foundationibus, etc., derogatur quidem foundationibus clericorum; non est vero laicorum, nisi expressa de his fiat mentio. — Resp. II. Quando in clausulis derogatoriis etiam apponitur ly, « Non obstantibus foundationibus, » etc., derogatur quidem foundationibus clericorum, atque qualitibus, seu requisitis ipsarum; non vero foundationibus laicorum, seu factis ex bonis patrimonialibus, nisi de his fiat expressa mentio. Ita Glossa c. Cum dilectus. 7. Quempiam præsentare. de Jurepatronat. et alia Glossa in Clem. 2. 7. Apostolicis de Præbend. Garcias loc. cit. n. 122. Fagnanus c. Quoniam. n. 10. et 11. de Jurepatronat cum aliis generaliter docens, quod Papa non conseatur velle derogare juspatronatus laicorum, nisi hoc exprimat.

122. Et quæ ratio disparitatis? — Accedit ratio simulque disparitas inter utramque partem conclusionis. Quia laici acquirunt juspatronatus ratione proprii patrimonii, quo fundaverunt, construxerunt, vel dotarunt Ecclesiam, aut beneficium: unde, ne alii retrahantur a faciendis similibus piis foundationibus neque consultum est, neque Papa præsumitur velle eisdem quoquo modo derogare, nisi istud clare exprimat. Secus dicendum de Clerico, seu patrono ecclesiastico, qui beneficium fundavit non ex proprio patrimonio, sed ex bonis suæ ecclesiæ, cæteroquin jurisdictioni Papæ specialiter jam subjectis. Verum de jurepatronatus, et qualiter acquiratur, plura inferius in proprio tit. XXXVIII. de Jurepatronatus.

§ V.

DE COLLATIONE BENEFICIORUM: UBI PLURA DE COLLATIONE ECCLESiarUM PAROCHIALIUM PER CONCURSUM.

123. Beneficia ecclesiastica tribus potissimum modis conferuntur. — Quæritur I. Quibus modis generalim conferantur beneficia ecclesiastica? Resp. breviter, id fieri potissimum tribus modis. Primo, per electionem canonicam, seu legitime celebratam a capitulo, vel aliis, quorum interest, atque a superiore confirmatam: et de hac dici solet, atque ex professo jam dictum est supra lib. I. tit. VI. de Electione, per totum. Secundo, per presentationem præviam, et institutionem in beneficio factam a prælato: de quo modo conferendi beneficia ecclesiastica, dicitur inferius partim tit. VII. de Institutionibus, partim tit. XXXVIII. de Jurepatronatus. Tertio, per collationem liberam: quando videlicet beneficium solo jure prælati libere, seu absque prævia capitulari electione, vel alterius presentatione, cuiquam idoneo clerico confertur: et de hoc agitur impræsentiarum, junctis dicendis infra cit. tit. VII. de Institutionibus. et tit. VIII. de Concessione Præbendæ, etc.

124. Acquiruntur etiam nonnullis aliis modis; et quibus? — Dicitur notanter in conclusione, « tribus potissimum modis. » Quamvis enim hi tres sint communiores, et præcipue usitati modi, quibus beneficia ecclesiastica conferri, obtinerique solent: unde hac de causa communiter beneficia dividuntur in electiva, patronata, et collativa, seu libera, ut jam superius n. 39. dictum est. Nihilominus beneficia etiam acquiri possunt, et quandoque acquiruntur aliis modis: ut puta, per postulationem, de qua dictum est supra lib. I. tit. V. de Postulatione prælatorum, per totum. Item, per resignationem, secuta beneficii resignati collatione per ordinarium alteri facta: de qua, et qualiter fieri debeat, pariter cit. lib. I. tit. IX. de Renuntiatione, ex professo tractatum fuit. Item mediante beneficiorum permutatione, juxta dicenda inferius tit. XIX. de rerum permutatione. Tacetur specialis modus acquirendi episcopatum per translationem; de quo superius lib. I. tit. VII. de Translatione episcopi, fusius actum est: nec non modus acquirendi beneficia ad primas preces imperatoris, et hujusmodi. Nisi placuerit hoc ipsos conferendi beneficia modis reducere ad unum priorum trium, con-

formiter dictis supra lib. I. tit. VI. de Electione. n. 9.

125. Quæ requirantur ad legitimam provisionem, seu collationem beneficii? Provisio est nomen latum, comprehendens sub se omnes modos providendi Ecclesiis. Provisio idem est, ac collatio. — Quæritur. II. Quæ requirantur ad legitimam provisionem, seu collationem beneficiorum? Ubi prænotandum cum Glossa in Clem. ult. 7. Provisioni. de Election. quod Provisio sit nomen satis latum, et veluti genus comprehendat sub se omnes modos, per quos providetur cuiquam de beneficio, ipsique Ecclesiæ de idoneo rectore: unde complectitur sub se nominationem, postulationem, presentationem, collationem; estque amplius dictum supra lib. I. tit. VI. de Electione. n. 16. Atque in hoc sensu Glossa c. Eum cui. in Casu. de Præbend. in 6. asserit, quod « idem est Provisio, quod Collatio; » juxta textum ibidem, quo canonicatus cuiquam a Sede apostolica collatus, postea provisionis ordine dicitur ipsi concessus. Idem tradit Glossa in Clem. un. 7. Conferantur. de Rerum permutat. passim recepta. Quo prænotato.

126. Collatio beneficii debet esse canonica. — Resp. I. Generatim loquendo ad legitimam provisionem, seu collationem beneficii ecclesiastici, requiritur, quod sit Canonica: hoc est, facta juxta præscriptum sacrorum canonum; videlicet, sine vitio conferentis, recipientis, et formæ. Ita Joan. Andreas c. Constitutus. n. 2. de Filiis presbyt. et alii. Siquidem, ut habet reg. 1. jur. in 6. « Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri: » juncta reg. 64. eod. in 6. « Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, » cum concordantiis.

127. Ac celebrata juxta formam a jure communi, statuto, aut consuetudine, etc., præscriptam. Forma dat esse rei. — Resp. II. Deinde in collatione, seu quacunque provisione beneficiorum, oportet observare formam a jure communi, vel statuto, aut consuetudine, vel foundatione præscriptam; alioquin nulla erit. Ita communis; ac signanter Garcias part. IX. de Beneficiis, cap. i. n. 1. post Puteum decis. 338. lib. I. et alios. Siquidem formam dat esse rei, l. Julianus. § Si quis rem. ff. Ad exhibendum. Ac forma non servata, corrumpit actus, c. Quia propter. 42. § Aliter. de Election. et can. Sine exceptione. 12. quæst. 2. et c. Cum dilecta. 22. de Rescript. cum similibus;